

usque .MCCCCIII., quo cum Franciscus in Venetos multa moliri coepisset, coepit itidem hominem exterum, et sub imperio Veneto natum observare, praesertim cum Vergerius eadem, quae Gattarius consilia pacis clam palam suaderet. Hinc semel iterumque a Principe sine causa increpitus, sibi secedendi praetextum quaequivit, quo ab aula recederet, veniamque facile obtinuit, causatus necessitatem invisendarum rerum suarum in Istria. Profectus Venetas ibi biennio versatus est, donec rebus Carrariensisibus afflictis, mox etiam pessumdati, eo flexit animum, ut se patriae quieti redux Justinopolim restitueret. Jamque navigationem parabat, cum eum a proposito revocavit Franciscus Zabarella, qui tunc princeps Patavinae legationis ad Venetos, urbem ac ditionem his ritu solemmni tradiderat: ab hoc Patavium reductus, amicorum eius atque contubernialium princeps fuit. Nam cum Francisco Zabarella deinde semper vixit tum Bononiae in aula Joannis XXIII, tum Florentiae, cum re iniit Antistitis dignitatem, tum etiam Romae, cum evectus ad Purpuram Cardinalium Collegio adscriptus est. Eundem comes ad Sigismundum Caesarem in Germaniam deduxit, ejusdem a secretis Constantiensi Syndico interfuit. Ibi morienti magistro, patrono et amico officiis omnibus adfuit, funus eius curavit, ossa Patavium transtulit, ut alibi diximus, ibi videtur personex occubuisse, et quidem non ante annum .MCDXXVIII., nam hunc annum fatalem Vergerii Tomasinus signat in rebus Istricis<sup>(1)</sup>. Scripsit multa:

*Orationes argumenti varii, et funebres aliquot.*

*Poemata quaedam latina satis, at et frigida satis, inter quae carmen vidimus de laudibus Petrarchae, cuius apocopen habet Tomasinus in Redivivo<sup>(2)</sup>.*

*Comment. in Timaeum, et in libros Platonis de Republica.*

*De Schismate abolendo libellum.*

*Quaestiones de Ecclesiae Potestate.*

*Vitas Carrariensium Principum sex, nam postremos duos praeterit.* Atque hae nuper editae sunt.

*Vitam Francisci Petrarchae* quam in Redivivo<sup>(3)</sup> edidit Tomasinus, apud quem quaedam alia leges in Bibliothecis Venetis MSS.

(1) « Lib. 10 ».

(2) « C. 6 p. 28. 29 ».

(3) « P. 175. 184 ».